

diis traditur, tota practica est, & vel virtualiter, vel formaliter ad piam vitam serio & constanter ducendam nos excitat, quamvis, quod dolemus, multi impii doctores & auditores fructum salutaris doctrinae & credendorum certissimum, sua culpa impedian, imo suffocent.

PRAEIVDICIVM VII.

Mores hominum, & quidem cum doctorum, tum auditorum, Lutherum per Reformationem depravasse potius, quam reformasse.

§. I. Ex quo Christianae religionis praeconium universo terrarum orbi innotuit, hominumque animos a DEO penitus avulsos, cum ipso arctius redunivit, Satanae fraudibus, carnis inconstantia, & pravis aliorum exemplis factum est, ut praecipuum impedimentum Christianae religionis, impios & depravatos hominum, qui Christianos se esse profitentur, mores extitisse, & adhuc extare, negari non possit. Sic Pauli temporibus inter medios Christianae doctrinae confessores non deerant, qui nomen DEI vita & moribus, contumeliis afficiebant Rom. II, 14., quod cum in ipsis per Lutherum restitutae religionis exordiis in multorum conversatione animadversum fuerit, novam judicium praecipitandi ansam acceperunt moderni Fanatici, qui *nihil, praeter corruptionem morum hominum ex Lutheri Reformatione secutam esse*, temere pronunciant. Ostendit hoc praejudicium jam a. 1623. fanaticum scriptum *ἀνομιμῶς* editum: *Treubertzige Erinnerung an die Evangelische Priesterschaft in Teutschland: ubi traditur: Die Leute wären durch Lutheri Reformation nur ärger gemacht worden.* Ex recentioribus autem praecipue Dippelius in der ausführlichen Replie p. 92. hoc confirmare non veretur: *Unser reformirtes Evangelium habe die Leute siebenfach ärger gemacht, als zuvor, da sie es nicht glaubten, & in*
ejus